

*tionibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent sanctum nomen Domini, et amplificarent mane Dei sanctitatem.* Sed et in Libro Samuelis hæc psallendi gratia spiritalis in eodem rege sanctissimo prædicatur, ubi legitur: *Dixit David filius Isai: Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psalles Israel: Spiritus Dei locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* Huic igitur tam sanctæ auctoritati et tam perspicuæ veritati non est dubium quod fidelis et

A disciplinatus quisque libenter acquiescat. Si quis autem contentiosus et pertinax contradicere conatur, et de turbulento magis rivo, quam de purissimo fonte potare voluerit, viderit ne illo ægrotet languore nimis pernicioso, quem quidam antiquorum patrum sapienter et breviter cavendum admonuit, dicens: *Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur.*

## AGOBARDI LIBER DE CORRECTIONE ANTIPHONARII.

I. Dilectissimis in Christo fratribus et præcipue a cantoribus Ecclesiæ Lugdunensis Agobardus in eodem Christo Domino et Salvatore nostro sempiternam salutem.

In divinis laudibus exsolvendis quanto studio fugienda sit levitas, gravitasque sectanda, frequenter dilectioni vestræ in mutua colloctione suggessimus; scilicet ut rationabili consideratione, sicut prudentes Ecclesiæ filii, et rationabili ejus lacte ab incunabulis nutriti, quod Deo displicet refugientes, concordî studio id quod gratum acceptumque ei, verbis sicuti et factis sectaremini. Si enim apud graves et sapientes viros, non solum morum, sed etiam verborum levitas reprehensibilis judicatur, quanto magis apud Deum totius sanctæ gravitatis ac sapientiæ auctorem, cui Psalmista dicit: *In populo gravi laudabo te*, et cui nos Apostolus rationale obsequium admonet exhibere. Neque vero passim, et absque diligenti examinatione, quod cuique visum fuerit in Dei laudibus usurpandum est, cum dicat Apostolus: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Unde et apostoli humanæ ignorationis conscii, orandi formulam a Deo petiere, dicentes: *Domine, doce nos orare.* Certe manifestum est majus esse Deo quempiam digne laudes exsolvere, quam pro infirmitate propria exorare; præsertim cum hoc præsentis vitæ sine terminetur, illud vero hic inchoetur, in futuro autem perficiatur, juxta quod Psalmista ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in sæcula sæculorum laudabunt te.*

II. Si ergo orantes doctrina sancti Spiritus indubaluzii

a *Cantoribus ecclesiæ lugdun.* His commendatio accessit ex cura Leidradi: qui, ut ipse ad Carolum Magnum scribit, tanta cura procuravit sacra ministeria in Lugdunensi ecclesia, ut etiam haberet scholas cantorum, ita eruditorum, ut alios etiam erudire possent.

b *Aut blasphema.* Fuere qui Agobardum nimis in hoc argumento scrupulositatis arguerent, damnantem nimis facile nonnullas antiphonas, nonnullaque responsoria, quæ licet ex sacris libris desumpta non sint, pia tamen potius sunt quam impia. Et aulico

B gemus, multo magis cum Deo laudes offerimus: quia sicut nemo nisi ipso inspirante secundum Deum postulat, ita nullus nisi eo erudiente Deum digne collaudat. Non ergo cujuscunque figmentis, sed Spiritus sancti eloquiis majestas divina laudanda est. Denique et filii Aaron ignem alienum Domino offerentes, non obsequii remunerationem, sed damnationem præsumptionis experti sunt. Unde hoc nos exemplum summopere vitantes, illud sollicitè attendamus quod vel in Proverbiis scriptum est: *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se. Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, invenierisque mendax.* Nihil itaque Dei verbis addentes, et timentes argui inveniri que mendaces, verbo Dei ignito, qui clypeus spei est, tempore orationis et laudis inflammemur pariter et muniamur. Cumque Dominus dicat: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, omnia humana figmenta, quæ vanitate sui mortua judicanda sunt, respicientes, viventibus Christi eloquiis in ipsius obsequiis personemus; quatinus voces nostræ, non quasi alienæ ab eo respui, sed ut propriæ cum supernis virtutibus, quæ majestate Dei trementes adorant atque collaudant, mereantur admitti.

III. Hac de causa et Antiphonarium pro viribus nostris magna ex parte correximus, amputatis his quæ vel superflua, vel levia, vel mendacia, b aut blasphema videbantur. Et vos frequenter admonuimus, et tenorem admonitionis nostræ propter aliquorum præsentis seu futuras querimonias in fronte ejusdem libelli ponere necessarium duximus: non generale aliquid statuentes, sed juxta mediocritatem sensus nostri in domo Dei, cujus nobis cura commissa est, quod possumus offerentes: nec de sensu NOTÆ.

eadem antiphonas, quas hic damnat Agobardus, hodie quoque exstare in Breviario Lugdunensi. Certo exstant in Breviario Ecclesiæ Parisiensis. Unde constat, res semel receptas in Ecclesia, non facile mutari, cautosque in his rebus debere esse pontifices, ne ministerium eorum vituperetur. Quidni? quandoquidem et Agobardi cura irrita fuit. Sic Urbanus VIII hymnos correxit. Et tamen semper hymni antiqui canuntur in Ecclesia, neque hæcenus inventus est quisquam qui notas apponeret hymnis ab Urbano correctis.

nostro aliquid præsentantes; sed Scripturæ sanctæ auctoritatem, et sacrorum canonum sanctionem, catholicorumque patrum instituta et exempla sectantes. De quibus antequam aliquid proferamus, congruum videtur, exempli gratia, nonnullas ineptias quæ præfato continebantur libello, notare breviter, ac leviter redarguere; ut ex his perpaucissimis evidentius agnoscatur quam necessario quæ in sequentibus dicturi sumus, a patribus constituta sint, quantoque timore ac sollicitudine eorum scita nobis expediat observare.

IV. Ac primum, quale illud est, quod in vigilia Natalis Domini in choro fidelium et fidelium eruditiorum cantabatur: *Dum ortus fuerit sol de cælo, videbitis Regem regum procedentem a Patre tanquam sponsum de thalamo suo?* Certe fides catholica habet Verbum Dei, quod in principio erat apud Patrem, in thalamo uteri virginalis conjunxisse sibi sponsum; cujus naturam in unitate personæ suscipiens, caro factum est ut habitaret in nobis. Naturæ enim nostræ unitas, tanquam sponsus de thalamo virginali, processit ex utero; et non eam de cælis attulit, sicut hæretici affirmare ausi sunt. Ac per hæc non tanquam sponsus de thalamo processit ex Patre. Verbum quippe Dei, Filius Dei, processit a Patre, et venit in mundum. Nec aliud fuit venire in mundum, quam in utero Virginis naturæ humanæ veritatem assumere, in qua visibilem se præberet mundo. Hanc igitur humanitatis nostræ naturam, cui unitus sponsus Ecclesiæ factus est, non de sinu Patris traxit, sed de carne Virginis sumpsit.

V. Est præterea in prædicta antiphona notanda temeritas, evidensque mendacium; dum et sacræ Scripturæ verba sui sensus perversitati coaptat, et nativitatem Salvatoris, qua vel de Patre ante sæcula, vel de matre in plenitudine temporum natus est, tanta confusione permiscet, ut de qua loqui velit, intelligi omnino non possit. Quod summopere ubique cavendum est, ne divinorum verborum ordo mutetur, et de scriptura veritatis labyrinthus texatur erroris.

VI. Illud etiam responsorium, quod in eisdem vigiliis cantabatur, quanta fidei severitate rejiciendum est, in quo ait vanus ille præsumptor: *De illa occulta habitatione sua egressus est Filius Dei, descendit visitare et consolare omnes qui eum de toto corde desiderabant.* Quod cum sermonum imperitia, tum sensus quoque absurditate ac falsitate turpatur. Nam et occultam Filii habitationem summa levitate dixit; et eum omnes desiderantes se visitasse, consolatumque esse mendaciter asseruit, cum potius eos quos visitare dignatus est, se agnoscentes ac desiderantes effecerit.

VII. Considerentur etiam verba alterius responsorii, quod quasi de mysterio nativitatis Christi

#### BALUZII NOTÆ.

\* *Introivit per aurem Virginis.* Mutata sunt verba istius responsorii in posterioribus editionibus Breviarii Parisiensis, ubi sic hodie legitur: *Descendit de cælis missus ab arce Patris, introivit per virginem*

A compositum, contra morem nocturni officii ab eminentiori loco pompaticè concrepabat: *Descendit de cælis missus ab arce Patris introivit per aurem Virginis in regionem nostram, indutus stola purpurea, et exivit per auream portam lux et decus universæ fabricæ mundi.* Ubi primum, qui descenderit non designat. Arcem vero Patris quid dixerit, ipse quoque penitus ignoravit. Nunquid est aliquid ædificium cæleste, aut percæleste, quod factum sit ab eo, aut aliud aliquid quod non est ipsum quod Pater, aut est ipse Pater? Quod si est, quomodo sibi est arx? Nec per aurem Virginis Verbum Dei introisse, catholicæ aures ferunt: quia cum sit incorporeum, et totum ubique præsens, nec localiter accedit, nec aditu corporeo indiget. Nisi forte nobis persuadere voluit angelicorum sono verborum sacram Virginem Dei Filium concepisse. Quod quantum a fidei veritate discordet, ex verbis ipsius angeli perspicuum est; qui ipsi Virgini interroganti: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quomodo autem virginalis uterus regio nostra possit intelligi, cum et virgo illa unici Filii mater sit, et nos omnes non ex virginea sed ex corrupta carne nascamur, prorsus inveniri non potest. Deinde quod eum stola indutum purpurea aurem dicit Virginis introisse, sive humano more cultu regio indutum, sive humanam formam non ex Virgine suscepisse, sed de cælo Dei Verbum attulisse putaverit, eamque stolam purpuream appellavit, apertissimè blasphemix est. Jam vero per auream portam eum exiisse, quanta vanitate proferre ausus est; cum nativitas Christi ex Virgine non supervacuis verbis adumbrari, sed confessione simplici debeat declarari; qui non, ut ille ait, universæ fabricæ mundi, sed juxta veritatem evangelicam rationalis tantummodo creaturæ lux est.

VIII. Aliud quoque responsorium de verbis Evangelii, sed non ordine evangelico, quod jam utique correctum a vestra dilectione psallitur, nescio quis composuit, dicens: *Tenebræ factæ sunt dum crucifixissent Jesum Judæi; et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus, Deus, ut quid me dereliquisti? Tunc unus ex militibus lancea latus ejus perforavit, et inclinato capite emisit spiritum.* Nempe omnibus fidelibus certum est, quod Salvator noster non aliqua doloris violentia coactus, sed spontaneè pro nobis est mortuus; nec animam necessitate amisit, sed potestate posuit, sicut ipse ait: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a me ipso ut iterum sumam eam.* Sed iste evangelici ordinis et fidei veritatis ignarus, prius dixit lancea a militibus latus Domini perforatum, et tunc ab eo spiritum emissum: quod

*matrem in regionem nostram, indutus stolam purpuream, et exivit per clausam portam, lux et decus universæ fabricæ mundi.*

omnino paganum est, Christum non benignitate A proprie voluntatis, sed vi doloris mortuum opinari; cum e contrario in Evangelio referatur quod Dominus voce magna clamaverit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et hæc dicens, exspiravit.* Quam mortem Christi in tantum milites qui aderant admirati sunt, ut continuo Deum glorificasse, eumque Dei Filium confessi esse referantur, ac postea Judæis petentibus latronum crura, qui cum eo fuerant crucifixi, Pilatus frangi concesserit, Jesu autem jam mortui non crura contracta, sed miliis lancea latus narraretur apertum, non, ut iste imperite protulit, perforatum.

IX. Jam vero quanta illa sunt vaticinia, ut ita dictum sit, falsa in responsoriis et antiphonariis, B quæ quasi ex voce Domini pronuntiantur, cum in nullis divinis Scripturis reperiantur. Ut est: *Octava decima die decimi mensis jejunabitis, dicit Dominus, et mittam vobis Salvatorem et propugnatorem pro vobis, qui vos præcedat et introducat in terram quam juravi patribus vestris.* Et iterum: *Coronam gloriæ ponam super caput ejus, dicit Dominus, et induam illum stolam candidam, quia servavit mandata mea, et propter nomen meum effusus est sanguis ejus in terra.* Et iterum: *Sancti estis, dicit Dominus, multiplicabo numerum vestrum, ut oretis pro populo meo in loco isto.* Et multa hujusmodi ridiculosa et fantastica. Quorum invento-ribus congruere mihi videntur illa, quæ Dominus per Ezechielem prophetam adversus falsos prophetas loquitur, dicens: *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* Et post pauca: *Vident nova et divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, et perseveraverunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis, Ait Dominus, cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, et dixistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, ait Dominus Deus. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec terram Israel ingredientur.*

X. Sed hæc et similia, quorum in præfato libro infinita erat copia, quia indignum est scribere, et vestræ prudentiæ fastidiosum audire, facilius colloquendo et fideliter pertractando dijudicari possunt. Nunc superest ut sacrorum statuta canonum, catholicorumque Patrum sententias, sicut superius promissimus, exsequamur; ut ex his perspicue declare-

tur qua cautela levissimorum hominum excogitationes vitandæ sint, quæ nulla veritate subnixæ, nulla ratione ornatæ, contemptui patent.

XI. <sup>a</sup> In concilio Africano talis constitutio promulgata est: « Ut preces et orationes, nisi probate fuerint in concilio, non dicantur; nec aliqua ex his omnino cantentur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractata et comprobata in synodo fuerint; ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per studium, sit compositum. » Ubi breviter considerandum, quod non solum ea quæ studio perfidiæ, sed etiam illa quæ <sup>b</sup> simplicitate ignorantie contra fidei regulam composita fuerint, pari animadversione repudiantur.

XII. Beatus Hieronymus (*Comment. in cap. v Epist. ad Ephes.*) cum exponeret præceptum Apostoli, ubi ait: *Implemini Spiritu loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, non tacuit quod in cantoribus Ecclesiæ reprehendendum videbat. « Canere igitur, ait, et psallere et laudare Dominum magis animo quam voce debemus. Hoc est quippe quod dicitur: Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragœdorum modum guttur et fauces dulci medicamine collinjendæ sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica; sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. Quamvis sit aliquis, ut solent illi appellare, cacophonos, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant quæ leguntur; ut spiritus malus qui erat in Saule, ejiciatur ab his qui ab eo similiter possidentur, et non introducatur in eos qui de domo Dei scenam fecere populorum. » In quibus verbis magnopere pensandum est, quod eos qui in morem psallentis David cum timore et gravitate spiritali canunt, malignum spiritum etiam ab auditoribus suis excludere posso confirmat; eos vero qui theatralibus sonis et scenicis modulationibus, et quamvis in divinis verbis, vocis dulcedine intemperantius delectantur, eum non solum ab aliis non excludere, sed, quod est terribile, in seipsos introducere testatur. Unde et in alio loco idem doctor cum sententiam Isaiæ (Cap. 4) exponeret, *Iniqui sunt cætus vestri*, ait: « Omnis conventus qui non offert hostias spirituales, nec audit illud quod in quinquagesimo psalmo canitur, *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit, abominabilis Deo est.* » Mens ergo libera, id est, sensibus corpo-*

#### BALUZII NOTÆ.

<sup>a</sup> In concilio Africano. Exstat hic canon in concilio Africano, cap. 70, et in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, tit. 103. Sed utrobique diversus est paulo ab editione Agobardi. Sic enim illic legitur: « Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probate fuerint in concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus cele-

brentur, nec aliæ omnino contra fidem præferantur, sed quæcumque a prudentioribus fuerint collectæ, dicantur.

<sup>b</sup> Simplicitate. In manuscripto legitur *inplacitate*: pro quo Massonus edidit *imbecillitate*. Nos vero reposuimus *simplicitate*, ut res postulare videbatur.

ris non succumbens, ita resistere debet vanae ac noxiae delectationi aurium, sicut et delectationibus sensuum caeterorum, visus videlicet, et olfactus, gustus, et tactus; quorum perturbationibus anima praegravatur, et capitur. Quantum denique oblectationes aurium virtutem mentis enervent, testatur praefatus doctor, qui ait: « Auditus vario organorum cantu, et vocum inflexionibus delinitur, et in carmine poetarum et comœdiarum, mimorumque urbanitatibus, et strophis, et quidquid per aures introiens virilitatem mentis effeminat. »

XIII. Sed et beatus martyr Cyprianus (*Serm. de zelo et livore*) simili modo dicit, exponens illud Apostoli, *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret*. Ait ergo: « Circuit ille nos singulos, et tanquam hostis clausos obidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua membrorum minus stabilis et minus fida, cujus aditu ad interiora penetraret. Offert oculis formas illicites et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat Christianum vigorem. »

XIV. Quod et beatus Augustinus ad tentationem diaboli intelligens pertinere, in libris Confessionum suarum (Lib. x, cap. 33) Deo gratias refert quod ab hoc vitio liberatus sit. « Voluptates, inquit, aurium tenacius me implicaverant, et subjugaverant; sed resolvisti et liberasti me. Nunc in sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi et artificiosa voce cantantur, fateor aliquantulum acquiesco, dum ipsi sanctis dictis religiosius et ardentius sentio moveri animos nostros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur. » Et rursus post aliqua de utilitate psallendi in Ecclesia discretam proferens sententiam, dicit: « Tutius quidem mihi videtur quod de Alexandrino episcopo Athanasio saepe mihi dictum commemini, quia tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. Verumtamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiae tuae in primordiis recuperatae fidei meae, et nunc ipso commoveor, non cantu, sed rebus quae cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magna instituti utilitatem rursus cognosco; magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit ut me amplius cantus quam res quae canitur moveat, poenali- ter me peccare confiteor, et tunc mallet non audire cantantem. » Ecce vir sanctissimus, atque doctissimus, et approbat institutum cantandi propter infirmos, quos in affectum pietatis facit assurgere; et tamen cum accidit ut plus moveat animum cantus,

A quam res quae canitur, poenale dicit esse peccatum, ita ut melius sit non audire cantantem, utique in cantu et sonis quos divina eloquia animant, ac vivificant; ut vita cantuum ac sonorum in sententiis sit divinorum eloquiorum. Caeterum, si in diebus suis audisset aliquos non de divinis eloquiis, sed de humanis adinventionibus cantantes, nunquid non mortuum et sine vita talem cantum judicaret?

XV. Verum quia Gregorii praesulis nomen titulus praefati libelli praetendit, et hinc opinione sumpta putant eum quidam a beato Gregorio Romano pontifice et illustrissimo doctore compositum; videamus quod sanctus ille vir de cantu ecclesiastico ordina- verit, vel quid ejus tempore Romana Ecclesia de- B cantarit. Ait igitur in Decretis suis (Lib. iv, indict. 13, epist. 44): « In sancta hac Romana Ecclesia, cui divina dispensatio praesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad praedicationis officium eleemosynarumque studium vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut ad sacrum ministerium, dum blanda vox quaeritur, quaeri congrua vita negligatur, et cantor minister Domini moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re praesenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicae lectionis officium inter missarum solemniam exsolvant; psal- C mus vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. » Ecce vir apostolicus reprehendit consuetudinem, qua diaconibus cantandi officium injungebatur, nec in eis blandam vocem, sed congruam vitam dicit esse requirendam; stimularique Deum talium ministrorum moribus asserit, etiamsi populum vocibus delectent. Damna vero tali consuetudine, psalmos ac reliquas lectiones per subdiaconos vel per minores ordines censeo exhiberi; solo videlicet evangelicae lectionis officio diaconibus delegato. Ex quibus perspicue demonstratur psalmos tunc in Ecclesia decantari solitum, unde D maximam partem divinorum officiorum etiam nunc constat esse compositam, et non fragmenta quorumlibet hominum, quae a tanto illo viro non esse composita, nemo nisi qui sincerissimae ejus fidei et excellentissimae eruditionis ignarus est, dubitat.

XVI. Igitur quia sanctorum Patrum dictis satis ostensum est quantum humanae levitates et mendacia devitanda, quantumque divinorum eloquiorum veritas ac sinceritas amplectenda sit, libet pauca ex verbis beati martyris Cypriani subnectere, quibus

#### BALUZII NOTÆ.

\* *Gregorii nomen titulus*. Exstat enim inter Opera sancti Gregorii papae Antiphonarius sive Gradualis liber ordinatus per circulum anni. Verum hunc li-

brum non esse Gregorii contendit Agobardus. Nisi si revera Gregorii erat, sed corruptus tractu temporis.

ostendatur qua gravitate et modestia divina officia celebranda sint : « Sit, inquit (*Serm. de Orat. Dom.*) orantibus sermo et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis et habitu corporis, et modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita congruit verecundo modestis precibus orare. Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Domini sacerdote celebramus, verecundiæ et disciplinæ memores esse debemus : non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste, Deo tumultuosa loquacitate jactare. Quia Deus non vocis sed cordis auditor est ; nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt, probante Domino et dicente : *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda.* Sonet psalmus. Convivium sobrium sit nobis spiritualis auditio, proleat aures religiosa mulcedo. »

XVII. His ergo et hujusmodi Patrum monitis informati, et eorum sequentes vestigia quos ad Dominum præcessisse non ambigimus, cunctas adventiones hominum quasi superfluas respuentes, verbis Domini quæ ad omnia sufficiunt, in ejus laudibus personemus, ut cum beato David dicere valeamus : *Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quia, ut beatus Augustinus ait, « Nihil Deo recte offertur, nisi quod ab eo accipitur. » Qui et alio loco præcepit suis : « Nolite cantare nisi quod legisse esse cantandum. » Quod quidam religiosi viri sequentes subjectis sibi fratribus præceptum tale dederunt : Nullus præsumat responsoria, aut antiphonas, quæ solent aliqui composito sono pro suo libitu non ex canonica Scriptura assumpta canere, in congregatione ista vel meditari vel dicere. Oportet enim nos sanam et simplicem apostolicam et patrum nostrorum imitari doctrinam, et gratiam stabilire, cor moresque subdere disciplinæ. Ea igitur cantare debemus quæ, sicut beatus Augustinus dicit, ita scripta sunt ut cantantur. « Quæ autem non ita scripta sunt, non cantemus ; quia nec alio modo quam quo ipse Dominus jussit per prophetas et apostolos suos manifestari ea hominibus debent. A nobis obedientiæ quam victimarum sacrificium quærit ; nec cantilenæ artificioso studio, sed observantia mandatorum et cordis munditia delectatur. »

XVIII. Hæc sincerissima Patrum statuta, omni diligentia et veneratione observanda sunt. Quia per hoc et fidei puritas, ac religionis disciplina saluberrime custoditur, et duo mala nimis pietati contraria utiliter resecantur ; videlicet, dum et vanissimorum hominum præsumptio, qui non solum inepta, et superflua, sed etiam profana et hæretica in Ecclesiis decantare audent, funditus excluditur ; et adolescentis, atque omnibus generaliter quibus cantandi

officium injunctum est, magna occasio stultæ et noxiæ occupationis aufertur. Ex quibus quamplurimi ab ineunte pueritia usque ad senectutis canitiem omnes dies vitæ suæ in parando et confirmando cantu expendunt ; et totum tempus utilium et spiritualium studiorum, legendi videlicet, et divina eloquia perscrutandi, in istiusmodi occupatione consumunt ; quodque animabus eorum procul dubio valde est noxium, ignari fidei suæ, inscii Scripturarum sanctarum, et divinæ intelligentiæ inanes ac vacui, hoc solum sibi sufficere putant ; et ob hoc, etiam ventosi et inflati incedunt, si sonum et vocem decantationis utcumque addiscant, et in numero cantorum deputari videantur. Quibus omnino (dum, sicut beatus Gregorius supra ait, *Deum moribus stimulant, cum populorum vocibus oblectent*) metuendum est ne etiam ipsa illa Dei increpatione feriantur, qua dicit : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Et iterum : *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam.* Nam et beatus Hieronymus, ut supra memoratum est, de hujusmodi hominibus manifeste dicit, quod de Ecclesia Dei scenam fecerint populorum. Hanc enim occupationem superfluum in eisdem sacris officiis deviantes antiqui, cum eis profecto suppeteret ex divinis libris et multiplex copia laudationis, et peritia modulationis, maluerunt tamen eadem sæpe repetere, quam infinitis et non necessariis psallentium animos occupare, vel gravare.

XIX. Quapropter, auxiliante Dei gratia, omni studio pietatis instandum atque observandum est, ut sicut ad celebranda missarum solemnia habet Ecclesia a Librum *Mysteriorum* fide purissima et concinna brevitate digestum, habet et Librum *Lectionum* ex divinis libris congrua ratione collectum, ita etiam et hunc tertium *Officiale* Libellum, id est, *Antiphonarium*, habeamus omnibus humanis figmentis et mendaciis expurgatum, et per totum anni circulum ex purissimis sanctæ Scripturæ verbis sufficientissime ordinatum ; quatinus in sacris officiis peragendis, juxta probatissimam fidei regulam, et paternæ auctoritatis venerabilem disciplinam, una a nobis atque eadem custodiatur forma orationum, forma lectionum, et forma ecclesiasticarum modulationum ; quæ a boni ingenii adolescentibus quam celerrime imbibita, eos et divinis laudibus concinendis sufficienter et graviter idoneos reddat, et a potioribus ac spiritalibus studiis non impediatur. Quis enim ita contentiosus, imo insanus, et ab omni veritatis ratione aversus est, ut non hoc rectius, et convenientius, ac salubrius fateatur in Dei laudibus decantari, quod ex divinis dictis et libris videat fideliter assumi ? quatinus sicut in Symbolo catholico fidem nostram non nostris sed apostolicis verbis probitemur, et in Dominica Oratione non nostris sed ipsius Domini et Sal-

## BALUZII NOTÆ.

\* *Librum Mysteriorum*, id est, Librum Sacramentorum : de quo libro supra diximus ad caput 30 libri de Imaginibus.

† *Humanis figmentis*. Ad ea fortassis ipsa, que

hic culpat Agobardus, respiciebat Alcuinus, cum hæc ad fratres Lugdunenses scriberet in epistola 69 : « In ecclesiasticis officiis inauditas priscis temporibus traditiones nolite diligere, »

vatoris nostri sermonibus supplicamus; ita etiam in A canticis personemus. Superfluo namque alia quærun-  
divinæ laudis honore, non humanis, sed divinis, et tur, ubi ista sufficere et superabundare noscuntur.  
spiritualibus, juxta Apostolum, psalmis, hymnis, et

## INCIPIIT <sup>a</sup> LIBER VENERABILIS AGOBARDI

### ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS

#### CONTRA LIBROS QUATUOR AMALARIII ABBATIS <sup>b</sup>.

I. Amalarius in libro suo primo, capitulo tricesimo septimo, dicit ita: « Romana consuetudo unum diem, id est, vii Kalendas Maii interponit, quem vocat in Litania majore, non in jejunio. Litania, ut prædiximus, deprecatio est apud nos. Potest enim serena mens, et aliena a voluntate mala, precari Deum, quamvis manducet sobrie carnem meridie, et lateatur de resurrectione Domini. Tamen majorum Patrum, id est, apostolicorum usus sequendus est. Forsitan ex ipso officio poterimus intelligere quid deprecandum sit tali in tempore. Prima oratio ad Missam dicit: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur.* Huic concordat offertorium, dicens: *Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac propter misericordiam tuam. Qui insurgunt in me, confundantur.* Eo tempore, id est, vii Kalendas Maii, possunt inimici commovere bella adversus vicina regna. Ut reor, caute providit sancta Ecclesia Deum rogare, ut qui destruxit olim consilium Achitopel, nunc destruat consilia eorum qui volunt irruere super pacem ejus. Intendit et hoc, quod dicit Epistola: *Multum enim valet deprecatio juxta assidua.* Evangelium alteram petitionem sonat, dicens: *Quis autem ex vobis patrem petit panem, et iterum, aut pisces, et iterum, aut si poterit ovum.* In istis tribus temporalia petenda possumus intelligere: per panem, omnia bona quæ de terra nascuntur; per pisces, quæ de agris; per ovum, animalia quæ coeunt simul. Hæc enim memo-

rato tempore in aliquo profectu sunt: germina mes-  
sis pullulant, arborum fructus ex flore prodeunt,  
vineæ atque olei liquor suis arboribus se erumpit,  
pullorum animantia campos tundunt. Quoniam hæc  
necessaria sunt nostris usibus, petenda sunt a Do-  
mino ut conserventur. »

II. In his verbis Amalarii facile quilibet potest de-  
prehendere quæ sint inutilia, et quæ noxia. Dicit  
namque posse fieri Litanias, id est, Rogationes, sine  
jejunio et carnis abstinentia: quod nunquam dictum  
est neque a parum sapientibus. Nempe Ninivitæ,  
quando conversi sunt ad prædicationem Jonæ pro-  
phetæ, non habebant doctores, qui eos docerent sac-  
rificium Deo esse spiritum contribulatum, cor con-  
tritum et humiliatum. Et tamen ratione naturali  
intelligentes per hæc flectendam Dei pietatem, contra  
subversionem sibi imminentem ad quæ arma concur-  
rerint, dicit ita eadem Scriptura: *Et cæpit Jonas  
introire in civitatem itinere diei unius, et clamavit,  
et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.*  
*Et crediderunt viri Ninivitæ in Domino, et præ-  
dicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore  
usque ad minorem.* Videlicet usque ad lactentem,  
sicut senserunt qui de hac laudabili penitentia scri-  
bere voluerunt; ex quibus unus, Prudentius, vir  
doctus inquit:

Nullus bibendi, nemo vescendi memor.  
Jejuna mensas pubes omnes liquerat.  
Quin et negato lacte, vagitentium  
Fletu madescunt parvulorum cunulæ.  
Succum papillæ parca nutrit derogat.

#### BALUZII NOTÆ.

<sup>a</sup> Monuimus jam ad librum de Divina Psalmodia, libro isto Agobardum talione remordere Amalarium. Neque sententiam mutò. Porro nunc primum editus est hic liber ex veteri codice ms. viri clarissimi Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani, ceu dictum est in præfatione. Neque est in eo aliquid valde notatu dignum.

<sup>b</sup> *Amalarii abbat. Ita diserte codex vetus. Quod confirmatur auctoritate, per antiqui codicis bibliothecæ Thuanæ, in quo continentur ejusdem Amalarii libri de Divinis Officiis. In codice itaque illo sic legitur: Thomus Amalarii abbat. de divinis officiis. Item: Continentia securæ causæ Amalarii abbat. scriptionis de officiis divinis incipit. Itaque quærendum est, cujus monasterii abbas fuerit. Alibi vocatur chorepiscopus. Exstat enim in bibliotheca monasterii Epternacensis in Ducatu Luxemburgico vetus codex ms. his sexcentis annis non scriptus, ex quo ista descripsit R. P. Alexander Wilhelmus e Soc. Jesu, Lutetiamque misit ad R. P. Philippum Labbeum, qui mecum lubenter pro amicicia nostra communicavit. Incipit liber officialis Amalarii corepiscopi, id*

*est, de ecclesiastico ordine cæterisque officiis, quatuor libri, ad Hludovicum imperatorem. Porro, præter edita Amalarii opera, exstant Lutetiæ in duobus per vetustis codicibus bibliothecæ sancti Germani a Pratis quinque illius epistolæ, quæ brevi prodibunt in lucem in tomo VII Spicilegii domni Lucæ Dacherii. Prima est ad Jeremiam archiepiscopum Senonensem, de nomine Jesu, quomodo scribi debeat. Item responsio Jeremiæ archiepiscopi. Secunda, ad Jonam episcopum Aurelianensem, de eadem causa. Item responsio Jonæ. Tertia ad Rantgarium episcopum Noviomensem, quomodo intelligenda sint illa verba ex Evangelio: *Hic est calix sanguinis mei novi et æterni testamenti,* etc. Quarta, ad Heltonem monachum, (illum, opinor, qui Fuldensis abbas fuit post Rhabanum) de nomine *Seraphim*, quando sit neutrius generis, quando masculini. Quinta demum ad Guntardum: Utrum spure liceat illico post consumptum sacrificium. Et priores quidem, itemque responsiones Jeremiæ et Jonæ, exstant etiam in codice monasterii Epternacensis, et inde penes virum clarissimum Philippum Labbeum.*